

muti prohibitionem sustulit. Hinc alia etiam prohibitionis causa fuisse
videtur, cum præsertim quod surdi vel muti, id est, qui discretè aut
surdi aut muti essent, non min^o, quām qui concretè, id est, qui utroq^z ma-
lo laborabant, olim testamenti fictionem activam non habebant; nisi
ex speciali gratia Imp. impetrassent l. si mutus 7. D. qui test. fac. Ac
licet & hoc ius non nihil integraverit; tamen penitus non sustulit; &
iniquum existimatatur seu non satis solenne, ut in testis testamento
alieno adhiberetur, qui ipse sibi testamentum non poterat condere.
(e) Quod cæcus testis esse possit, pleriq^s videntur affirmare, quia
disertis verbis nullibi excipi reperitur; & quia in omni negotio, quod
auditus beneficio cæcus percipere potest, quando vocem agentium notam
babet, testem idoneum esse receptum sit Reub. 1. de testib. n. 57. Ve-
rū min negativam partem frequentius itum est. per l. si non speci-
ali 9. C. de testam. & l. heredes palam 21. D. qui testam. fac.. ubi re-
quiritur, ut testes non solum audiant sed & videant testatorem, ne forte
falsa & ficticia vox subiiciatur; cui etiam Br. ad d. l. n. 2. & Clar. in
§. testamentum q. 59. adstipulantur. Cessat igitur argumentum à de-
fau exceptionis ad regulam: quia satis hic ll. exceptio probatur nec sine
l. loquitur qui mente & ratione legis utitur, v. supr. th. 6. lit. d.

IX.

Lege prohibentur & quidem in totum ser-
vus & peregrinus, (a) prodigus (b) mulier
(c) ac judicio publico damnatus atq^z intestabilis
(d) At à quorundam testamentis arcentur testa-
toris pater & filiusf. (e) heres institutus & ejus
pater (f) quiq^z sub ejusdem potestate cum Te-
statore aut herede continentur. (g)

(a) Hoc verò omni carer dubio: cum servus sit instar mortui l. quod
attinet 32. l. servitutem 209. D. de R. J. Accur posse heres institui ex
persona domini, nec tamen testis fieri in alieno testamento ex persona
domini, evidens ratio est: quia ut in testimonio ferendo non aliena fides:
sic nec qualitas testis aliena sed propria testificantu desideratur per l. 1.

& 3.